

cino in litore erexit, quæ ipsarum triremium tormentis summo impetu disiecta est, propugnaculumque ad portum Veneti struxere, quo maris aditus ab hostium injuriis tutus pateret: quæ res ad urbis salutem summo momento fuit. Nam Camillus Urfinus a Tranio cum tribus triremibus subsidio supervenit, secumque Angelum Sanctocorcium, virum strenuum, atque arte elaboratorum ignium inventorem, duxit, cujus ope injectus in vineis hostium ignis, pabulum ad flammâs alendas farmentorum materia suppeditante, omnes fere illius vi absumptæ sunt; ita ut ad illas reficiendas, atque instaurandas multum laboris, ac temporis opus fuerit; assiduus præsertim tormentorum ictibus, quæ e duabus turribus displodebantur, hostibus male habitis, ac perturbatis. Tandem post multos labores cominus moenia quati cœpta, stratis multis partibus, aditus patefactus: noctu milites, atque oppidani disiecta sarcire aggressi, intercludere hosti vias, dejectam in fossas materiam intus, qua se tuerentur, comportare: magnus civium ardor, incredibilis ad munia militaria obeunda militum solertia: in mulieribus quoque ipsis generosus animi impetus emicabat, quo pro moenibus milites incitabant, proprioque comineatu juvabant: strata etiam ipsa, ac pulvinaria ad munimenta reparanda impendebant. Vastius milite adori urbem non ausus esset; ni moræ pertæsus, multarumque rerum inopia adactus eventum experiri satius, quam re infecta, regredi statuisset. Itaque magno impetu urbem aggredientem intrepide milites excepere, multorumque cade pulsus inceptum prætermittere coactus fuit; quodque vi minime obtinere potuerat, obsidione consequi posse ratus, undique urbem circumfidere statuit. Verum ex ea bellandi ratione cum multa suis copiis incommoda accederent, lenteque stipendia perfolverentur, seditiones, ac tumultus inter milites, & præcipue Italos pedites ortæ, quorum major pars, relictis signis, in oppidum concessere; Venetæque militiæ adscripti, ne obsessis incommodo essent, mari Tranium mittebantur. Dum transveherentur, duæ triremes maris, ac procellarum impetu disiectæ, atque propinquis litoribus illisæ; cujus eventus rumor, cum ad hostium castra pervenisset, Hispanorum manus ad prædam ex naufragio colligendam accur-

1529

Camillus
Urfinus ad
subsidium
Monopolit
anorum.

Vastius a
Monopolit
anis reje
ctus.

cur.